Epheſinorum Numen magnum, *Antiochus Soter*, *Ptolemæus Philometor*, qui Romæ ſedet, cum Imperio, Papa eſt. Deeſt enim κοινότης πίστεως, quam Eccleſia Apoſtolica eſt profeſſa. Nec Paulus Rom. 1. v. 8. Romanam Eccleſiam proponit ut *fidei matrem, magiſtram & normam*, ſed ut *exemplum*; loquitur de *fide*, non *Quæ*, ſed *Quâ* creditur, quam non minùs commendat in Theſſalonicenſibus 1. Theſſal. 1. v. 8. loquitur de Romana antiqua verè Catholicâ & Apoſtolicâ, cum adhuc *Bethel* eſſet, nunc facta *Bethaven*, illud audire debet, quod Dominus per Jeremiam cap. 7. v. 11. inquit: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini &c.* III. Pontificii nondum evicerunt, Romam ita alicubi notare univerſalem Eccleſiam, ſicut Hieroſolyma; unde quicunq; ad Hieroſolymam pertinent, ad Eccleſiam etiam, quia Meſſias ad Jeruſalem pertinet, & facit Hieroſolymitanos omnes credentes. Gal. 4. v. 26. Hebr. 12. v. 22. Eſai. 12. v. 1. ſeq. cap. 54. & 60. cap. 62. v. 13, Certè ſi ad hanc dignititatem ROMA unquam evecta fuiſſet, & illius nomen Eccleſiæ Catholicæ, triumphanti & militanti tribueretur, ſicut nomen Hieroſolymæ, Deum immortalem, quantopere gloriarentur Pontificii. Sine dubio univerſalē Romanæ Eccleſiæ in omnes alias Orbis terrarum Juriſdictionem & Dominatum inde concluſiſſent. IV. *Hieroſolyma* haud minùs illuſtribus prærogativis & maximis gaudet privilegiis. Eſt *civitas Dei*. Pſalm. 46. v. 5. *Magni Regis*. Math. 5. v. 53. *Vrbs ſancta*. Math. 4. v. 5. *Thronus Dei*. Jerem. 3. v. 17. *Munitio*. Jer. 10. v. 17. *Mater*. Jer. 15. v. 8. *Perfectio pulchritudinis*, Pſalm. 50. v. 2. *De Sion exivit Lex, & verbum Domini de Ieruſalem*. Eſai. 2. v. 3. *Vos eritis mihi teſtes in Ieruſalem*, inquit Chriſtus. Act. 1. v. 8. IV. Imò in hoc *Maternitatis, Magiſterii & Catholiciſmi* privilegio Romanā Eccleſiam Hieroſolymitana longè anteit. Hæc enim, ſicuti revera eſt,